

Conditio iuridica

Ordinis Praemonstratensis

medio saeculo decimo tertio

Quamvis Ordo Praemonstratensis iam saeculo XII^o, tempore reformationis sic dictae gregorianae, exordium sumpserit, non nisi bulla *Excitat nostrae mentis*, die 31 iulii 1409 data ¹⁾, exemptionem plenam consecutus est. Tunc enim primo Alexander V Praemonstratenses a iurisdictione dioecesani episcopi exemit atque liberavit et Sedi Apostolicae immediate subiecit. Attamen longe iam antea de quibusdam monasteriis in documentis legitur ea *iuris beati Petri* esse ²⁾, aut censum solvere *ad indicium libertatis* ³⁾, vel *ad indicium quod iuris beati Petri est* ⁴⁾ : quae verba iam exemptionem sapiunt ⁵⁾.

¹⁾ Ed. J. LEPAIGE, *Bibliotheca Praemonstratensis Ordinis*, Lutetiae Parisiorum, 1633, n. 127, p. 704-705.

²⁾ Sicut monasterium Speinshartense. Cfr. *Le Liber Censuum de l'Eglise Romaine*, ed. P. FABRE - L. DUCHESNE (*Bibliothèque des Ecoles françaises d'Athènes et de Rome*, ser. II, t. VI), t. I, Lutetiae Parisiorum, 1910, p. 172, col. 1; V. PFAFF, *Der Liber Censuum von 1192 (Die im 1192-1193 der Kurie Zinspflichtigen)*, in *Vierteljahrschrift für Sozial- und Wirtschaftsgeschichte*, t. XLIV, 1957, Stuttgartiae, p. 231, n. 458.

³⁾ Sicut monasterium Sanctae Crucis in Monzonio. Cfr. *Le Liber Censuum*, t. I, p. 219; V. PFAFF, *a. c.*, p. 341, n. 643.

⁴⁾ Sicut monasterium Rothense. Cfr. *Le Liber Censuum*, t. I, p. 156, col. 2; V. PFAFF, *a. c.*, p. 222, n. 384.

⁵⁾ Cfr. c. *Recepimus*, X 5.33.8; INNOCENTIUS IV, *In quinque libros decretalium apparatus seu commentaria*, Lugduni, 1578, in hoc cap., sub v. *specialiter*; P. FABRE, *Etude sur le Liber Censuum de l'Eglise Romaine (Bibliothèque des Ecoles françaises d'Athènes et de Rome*, fasc. 62), Lutetiae Parisiorum, 1892, p. 110-115; G. SCHREIBER, *Kurie und Kloster im 12. Jahrhundert. Studien zur Privilegierung, Verfassung und besonders zum Eigenkirchenwesen der vorfranziskanischen Orden, vornehmlich auf Grund der Papsturkunden von Paschalis II bis auf Lucius III (1099-1181) (Kirchenrechtliche Abhandlungen, 65.-68. Heft)*, Stuttgartiae, 1910, t. I, p. 38-56.

Licet praedictorum monasteriorum conditio potius singularis sub hoc respectu appareat, notandum tamen venit iam saeculo XII^o ac XIII^o Romani Pontifices Ordinem ipsum, necnon plura monasteria, ditasse privilegiis, potestatem ac iura episcopi dioecesani coarctantibus, itaque gradatim Ordinis plenam immunitatem praeparasse. Concessio istius immunitatis ab Alexandro V evolutionem coronat, quae ab initiis pedetentim tantum ac diversimode progressa est propter varias rationes, inter quas structura ipsius Ordinis speciali mentione digna est. Ordo enim Praemonstratensis nuncupatus, in suo exordio diversis efformabatur communitatibus, inter quas nexus nullus specialis erat nisi idem modus concipiendi atque vivendi vitam apostolicam prout tempore reformationis sic dictae gregorianae renovabatur atque excitabatur, qui modus « ordo » nuncupabatur. Ex quo factum est ut inter varias communitates, secundum Praemonstratensium mores viventes, numerentur, non solum capitula cathedralia et collegialia Praemonstratensibus tradita, ab eis reformati vel de novo fundata, sed etiam clericorum et monachorum, e.g. Benedictinorum, communitates, quae ad « Ordinem » Praemonstratensem transitum fecerunt, necnon foundationes novae, a Praemonstrato excitatae vel ab illo acceptatae, quarum aliae ex aggregatione « ecclesiarum propriarum », aliae, non semel indolem eremiticam prae se ferentes, super terras noviter datas constructae sunt. Quae tanta diversitas, indole intima singularum foundationum nixa, magis adhuc augebatur pro propria earum activitate varia, nempe cura animarum a pristinis ecclesiis propriis exercitata, activitate missionaria in quibusdam foundationibus et talia ⁶⁾). Non igitur a priori excludi potest talem structuram ac diversitatem causam fuisse discrepationum in relationibus episcopos inter et monasteria Praemonstratensium, et consequenter in conditione iuridica singulorum.

Ordinis igitur conditionem iuridicam delineare volenti, praesertim in periodo foundationis atque primae propagationis, ratio huius diversitatis necessario sese imponit. Proinde non solum documenta quae generalitatem monasteriorum seu Ordinem respiciunt, sed ea

⁶⁾ Cfr. Ch. DEREINE, Art. *Chanoines*, in *Dict. d'hist. et de géogr. eccl.*, t. XII, col. 379-386; H. MARTON, *Status iuridicus Monasteriorum « Ordinis » Praemonstratensis primitivus*, in *Analecta Praemonstratensia*, t. XXXVIII, 1962, p. 197-205; H. MARTON, *De sensu « Ordinis » saeculo duodecimo*, in *Anal. Praem.*, t. XXXVII, 1961, p. 314-318.

etiam quae singulis destinantur, inspiciat necesse est. Nemo non videt tractationem istam valde perplexam atque nimis extensam fore. Itaque opportunum visum est inquisitionem restringere non solum ad periodum determinatam, — usque ad medium saeculum XIII^{um} ⁷⁾, — sed etiam ad quandam Ordinis partem, nempe ad archicoenobium Praemonstratense necnon ad monasteria in dioecesibus Cameracensi, Leodiensi, Taruennensi vel Tornacensi sita. Ad hoc autem tantum fontes iuris particularis, uti sunt statuta, bullae et diplomata episcopalia, toti Ordini vel uni ex monasteriis illorum dioecesium concessa, et quidem ex editis tantum, perscrutati sumus.

Aliunde, necessarium omnino duximus ius particulare Praemonstratensium, sive sit totius Ordinis, sive praedictorum monasteriorum, cum iure communi regularium et cum doctrina decretalistarum conferre. Ibi enim iura fundamentalia episcoporum definiuntur, atque relatio iuridica episcoporum et monasteriorum in genere determinatur et exprimitur. Canonistae ad hoc utuntur duobus terminis iuridicis: lex iurisdictionis et lex dioecesana. Lex iurisdictionis, secundum eos, omnia comprehendit, in quibus monasteria non exempta proprio episcopo subsunt ⁸⁾, scilicet tum omnia iura quae episcopus in ea exercere potest, tum consequenter obligationes correlativas monasterio gravantes ⁹⁾. Lex vero dioecesana

⁷⁾ Conditionem iuridicam Ordinis in primis eius incunabulis iam pertractavit H. Marton in suo articulo: *Status iuridicus Monasteriorum « Ordinis » Praemonstratensis primitivus*, in *Anal. Praem.*, t. XXXVIII, 1962, p. 205-229.

⁸⁾ Exemptio nihil aliud erat quam immunitas a lege iurisdictionis.

⁹⁾ Ad determinandam vim vocabulorum *lex iurisdictionis* et *lex dioecesana* potissimum allegandum est c. *Conquerente*, X 1.31.16. Iura episcopalia in prima huius capituli parte enumerata, iuxta decretalistas, ad legem iurisdictionis pertinent. Sunt: canonica obedientia, subiectio, reverentia, institutio, destitutio, correctio, reformatio, censura ecclesiastica, iurisdictio causarum omnium ad forum ecclesiasticum de iure spectantium, poenitentiae ac sacramentorum omnium quae ab episcopo sunt recipienda collatio, necnon visitatio, in fine capituli citata. Vi vero legis dioecesanae episcopus ius habuit ad synodaticum, seu cathedraticum, et ad quartam decimationum, mortuorum et oblationum, quae in secunda parte c. *Conquerente*, X 1.31.16, enuntiantur. Haec tamen enumeratio taxativa non videtur. A decretalistis in lege iurisdictionis etiam adnumerantur facultas capituli vel ecclesiae statuta conficiendi, electionis confirmatio, investitura, inquisitio, curae concessio, ecclesiarum ordinatio ac demum quaedam speciales potestatis ordinis functiones, dum legi dioecesanae adscribuntur facultates in qualibet ecclesia missas publicas cantandi, ubicumque cathedram ponendi praedicandi vel causas audiendi causa, necnon moderatum auxilium a subditis petendi. Cfr. *Glossa ordinaria in decretalibus Gregorii IX*, Lugduni, 1520, in c. *Dilectus*,

ordinat ea omnia quae ab ecclesiis et capellis debentur, sed a quibus monasteria, in quantum populum fidelem sibi concreditum non habent, in favorem religionis exempta sunt ¹⁰). Elementum igitur alterum, scilicet exercitium curae animarum, conditionem iuridicam monasterii mutare valet. Itaque monasterium, quod sit insimul sedis ecclesiae paroecialis, vel a quo aliae ecclesiae vel capellae vi iuris possessionis dependent, non tantum lege iurisdictionis obstringitur, sed etiam lege dioecesana vinculatur, ita ut episcopo dioecetano ea omnia debeat, quae aliae ecclesiae dioecesis ei, ratione populi, debent.

In hoc articulo pressius normae determinabuntur quibus Praemonstratenses, exeunte prima parte saeculi XIIIⁱ, tam quoad obedientiam, a regularibus proprio episcopo dioecetano praestandam, quam in materia confirmationis novi abbatis electi ac visitationis monasterii, lege iurisdictionis adstringuntur.

1. DE CANONICA OBEDIENTIA PROPRIO DIOECESANO EPISCOPO PRAESTANDA.

Primum, et quidem praecipuum, regularium erga episcopum dioecesanum officium est canonica obedientia, subiectio et reverentia. Episcopus enim pastor est dioecesis, cuius cura et regimen

X 1.31.18, sub v. *de lege iurisdictionis*; INNOCENTIUS IV, o. c., in c. *Theodosius*, X 3.35.1, sub v. *vendicare*; ABBAS ANTIQUUS, *Lectura aurea super quinque libris decretalium*, Argentorati, 1510, in c. *Conquerente*, X 1.31.16, sub v. *recipiendi, synodum, et synodaticum*; in c. *Dilectus*, X 1.31.18, sub v. *ecclesiis*; HOSTIENSIS, *Summa aurea*, Lugduni, 1568, 1.31. *de off. ord.*, § *quid pertinet*, sub § *sunt autem quaedam*; *Lectura in quinque decretalium Gregorianarum libros*, Lutetiae Parisiorum, 1512, in c. *Conquerente*, X 1.31.16, sub v. *visitationem quoque*; in c. *Dilectus*, X 1.31.18, sub v. *ad legem iurisdictionis*; in c. *Theodosius*, X 3.35.1, sub v. *conferre contingit*; in c. *Sane*, X 5.31.5, sub v. *obedientiam*. E decretalistarum vero doctrina clare non apparet utrum synodus in lege iurisdictionis, an in lege dioecesana numeranda sit (cfr. infra nota 29).

¹⁰) Secus adstricta essent omnibus obligationibus ab aliis ecclesiis, ratione populi, vi legis dioecesanae praestandis. Cfr. GOFFREDUS DE TRANO, *Summa in titulis decretalium*, Venetiis, 1564, 1.31. *de off. ord.*, n. 16; 3.35. *de statu mo. et can. reg.*, n. 8; *Glossa ordinaria*, loc. cit.; in c. *Theodosius*, X 3.35.1, sub v. *disciplina*; INNOCENTIUS IV, o. c. et loc. cit.; ABBAS ANTIQUUS, o. c., in c. *Conquerente*, X 1.31.16, sub v. *synodaticum*; in c. *Theodosius*, X 3.35.1, sub v. *accesserit*; HOSTIENSIS, *Summa*, loc. cit.; *Lectura*, in c. *Quod super his*, X 1.33.9, sub v. *abbates, et dioecesana*; in c. *Theodosius*, X 3.35.1, sub v. *praeter diligentiam*.

ei concredita est. Omnes idcirco fideles, regularibus non exceptis, eius auctoritati subiiciuntur, atque ei obtemperare debent. Ab hac subiectione et correlativa obligatione exemptione plena dumtaxat absolvuntur ¹¹⁾).

Dubium nullum est Praemonstratenses ab hoc iuris communis praescripto nullo modo fuisse exemptos, sed lege subiectionis proprio episcopo teneri. Hoc non solum ex documentis pontificiis et chartis episcopalibus, ac, indirecte quidem, ex iure particulari, sed etiam ex promissione ab abbatibus Praemonstratensibus facienda, perclare patet.

Hoc officium imprimis urgetur in pluribus diplomatibus episcopalibus, plerumque in actu foundationis monasteriorum datis. Ita a. 1124 Albero, episcopus Leodiensis, in charta foundationis abbatae Floreffensis scribit : *hoc solummodo de illa retinui... filialem loci subiectionem* ¹²⁾. Idem legitur in documento a. 1132 Lietardi, episcopi Cameracensis, pro abbazia Grimbergensi ¹³⁾. In litteris Alexandri, episcopi Leodiensis, a. 1131 abbatae Parcensi datis, habetur : *filialem obedientiam retinemus* ¹⁴⁾, et cum idem episcopus a. 1134 abbati Floreffensi territorium Veroffi tradit, explicite ordinat, illo loco in abbatiam forte erecturo, abbatem *in subiectione episcopi Leodiensis, sicut iustum est* remansurum esse et ab episcopo *donum abbatae* accepturum ¹⁵⁾. Quoad monasterium Trunchiniense, cum adhuc in Saleghem sistitur, Simon, episcopus Tornacensis, a. 1136 sibi *canonicam abbatum professionem et filialem obedientiam* reser-

¹¹⁾ Glossa ordinaria, in c. Sane, X 5.31.5, sub v. *obedientiam*; ABBAS ANTIQUUS, o. c., in c. Conquerente, X 1.31.16, sub v. *obedientiam*: « quod mandato episcopi teneatur parere, 23 dist. Quamquam (D. 23 c. 6) »; HOSTIENSIS, Summa, 1.33. de maior. et obed., sub § et ad quid, n. 6; Lectura, in c. Conquerente, X 1.31.16, sub v. *subiectionem*; in c. Sane, X 5.31.5, sub v. *obedientiam*: « et sic loquitur hic de exemptis. Omnis enim cura totius dioecesis tam in monasteriis quam in aliis ecclesiis omnibus pertinet ad episcopum, nisi exempti sint, 10 q. 1 per totum (C. 10 q. 1), 9 q. 3 c. 2 (C. 9 q. 3 c. 2), 93 dist. Nulla (D. 93 c. 8), nam et episcoporum potestate etiam abbates consistunt, 18 q. 2 Abbates (C. 18 q. 2 c. 16)... ».

¹²⁾ Ed. C. L. HUGO, Sacri et canonici Ordinis Praemonstratensis Annales, t. I, Nanceii, 1734, Prob., col. LI.

¹³⁾ Ed. *ibid.*, t. I, Prob., col. DCIX.

¹⁴⁾ Ed. A. J. VERSTEYLEN, Les chartes de fondation de l'abbaye du Parc, in Anal. Praem., t. V, 1929, p. 126.

¹⁵⁾ Ed. V. BARBIER, Histoire de l'abbaye de Florefe de l'Ordre de Prémontré, t. II, Namurci, 1892, n. 11, p. 8.

vat ¹⁶). De Wilhelmo, abbate Sancti Nicolai Furnensis, Milo, episcopus Taruennensis, a. 1164 eo modo loquitur : *Ipse autem W. abbas, tam obedientia ordinis, quam nostro praecepto constrictus* ¹⁷). Tandem in diplomate a. 1198 Alberti, episcopi Leodiensis, pro abbazia Helincinensi legitur : *Helincinense monasterium obedientiae nostrae subiectum* ¹⁸).

Nonnullae bullae pontificiae hanc Praemonstratensium episcopo subiectionem confirmare videntur. Primo loco afferenda est bulla Lucii III, *Quae a viris*, ad episcopos per regnum Teutonicum constitutos, data. Verba : *abbates, qui vestrae iurisdictioni subiecti*, in textu recensita, abbatum episcopo dioecesano subiectionem absque dubio exprimunt ¹⁹). In aliis bullis mandatur ne episcopi abbates vel praepositos in eorum episcopatibus commorantes impediunt quominus generali capitulo sui ordinis intersint, sed econtra, ut nolentes ire cogant ²⁰). In his vero documentis non tam agi, nobis videtur, de reactione contra quorundam episcoporum immixtionem, nimis arbitrariam forsitan, in vita claustrali, quam de inculcanda necessitate instituendi ac assistendi capitulo generali ne disciplina regularis enervetur. Itaque cum *inevitabilis episcopo vel archiepiscopo obedientia*, quam Statuta *W* ut causam excusantem ab assistentia capituli generalis recognoscunt ²¹), in posterioribus redactionibus

¹⁶) Ed. J. J. DE SMET, *Appendices Chronici Trunchiniensis*, in *Corpus Chronicorum Flandriae* (Collection de Chroniques belges inédites — Publications de la Commission royale d'Histoire), t. I, Bruxellis, 1837, n. 3, p. 705.

¹⁷) Ed. F. VAN DE PUTTE - C. CARTON, *Chronicon et cartularium abbatae Sancti Nicolai Furnensis Ordinis Praemonstratensis et Chronicon Bethaniae seu domus Sancti Joseph Furnensis* (Recueil de Chroniques, Chartes et autres Documents concernant l'Histoire et les Antiquités de la Flandre Occidentale publié par la Société d'émulation de Bruges, ser. I), Brugis, 1849, p. 77.

¹⁸) Ed. *Analectes pour servir à l'histoire ecclésiastique de la Belgique*, t. VI, 1869, p. 66-68.

¹⁹) 29 dec. 1181, (JL 14543), ed. J. LEPAIGE, o. c., n. 20, p. 634-635.

²⁰) Coelestini II, *Desiderium nostrum*, 6 dec. 1143, (JL 8451), ed. *ibid.*, p. 422-423; Lucii II, *Ad uberes*, 19 maii 1144, (JL 8614), ed. *ibid.*, n. 9, p. 625-626; Adriani IV, *Sicut in*, 3 ian. 1155, (JL 9970), ed. *ibid.*, n. 12, p. 627-628. Abbates itaque prohibitionem episcopi praetendentes ut absentiam a capitulo generali iustificent, reprehenduntur (cfr. Eugenii III, *Pro stabilitate*, 14 martii 1145, (JL 8718), ed. *ibid.*, n. 11, p. 626-627).

²¹) c. *Quod omnes ad colloquium veniant*: « Nulla sane ratione nisi duabus ex causis annuo licebit deesse capitulo aut videlicet ob corporis infirmitatem aut inevitabili episcopi vel archiepiscopi obedientia ». Signo *W* designantur *Statuta Ordinis Praemonstratensis*, edita a R. VAN WAEFELGHEM, *Les premiers Statuts de*

statutorum Praemonstratensium expungitur, nullatenus concludi licet mutationem fundamentalem quoad Praemonstratensium proprio episcopo subiectionem introductam fuisse. Reapse ratio huius textus mutationis, iudicio nostro, in decretis Romanorum Pontificum supra citatis quaerenda est, prohibentibus ne episcopi abbates impediunt quominus capitulo generali intersint. Hoc vero praecepto episcoporum potestati derogatur quidem, sed exemptionis sequela vel manifestatio dici nequit. Qua de causa adhaerere non possumus sententiae a P. Vermeer propositae, iuxta quam expunctio textus citati unice intelligi potest, si admittitur Ordinem Praemonstratensem interim exemptionis privilegium consecutum esse ²²).

In bulla etiam *In Apostolicae Sedis* argumentum invenitur quo probatur Praemonstratenses episcopo proprio obedire teneri. Et enim, ubi in illis litteris scribitur : « Electus autem, non quasi absolutus a potestate patris abbatis vel ordinis sui, archiepiscopo vel episcopo, in cuius dioecesi fuerit, praesentetur, plenitudinem officii percepturus, ita tamen quod post factam archiepiscopo vel episcopo professionem, occasione illa non transgrediatur constitutiones ordinis sui nec in aliquo eius praevaricator existat » ²³), « professio » memo-

l'Ordre de Prémontré (Excerpta ex *Analectes de l'Ordre de Prémontré*, t. IX, 1913), Lovanii, 1913. Forsan iam ante a. 1131 confecta sunt (L. C. VAN DIJCK, *Les origines du pouvoir de l'Abbé Général de l'Ordre de Prémontré (1120-1177)* (Excerpta ex dissertatione ad lauream in Facultate Iuris Canonici Pontificiae Universitatis Gregoriana), Tongerloae, 1953, p. 7-9.

²²) P. VERMEER, *De invloed van de « Carta Caritatis » van Cîteaux op de Statuten van Prémontré*, in *Studia Catholica*, t. XXVI, 1951, p. 70: « De aanwezigheid in *W* van een tweede verontschuldiging voor abten, om ontslagen te worden van de verplichting om naar het algemeen kapittel te gaan, namelijk: de onvermijdelijke gehoorzaamheid aan de bisschop, wordt volgens Heijman verklaard door de werkzaamheid van de Praemonstratenzers in de zielzorg. Deze verklaring is a priori aannemelijk, doch hoe kan ze overeen gebracht worden met het feit, dat in *MA* [= *M*] het statuut niet meer is opgenomen? In *MA* zijn de werkzaamheden van de Praemonstratenzers toch niet veranderd. Wat er ook van zij, het is zeker dat de aanwezigheid van genoemd statuut het bewijs levert dat de Orde van Prémontré toen nog niet exempt was... Dat dit statuut in *MA* ontbreekt is dus o.i. enkel toe te schrijven aan het feit dat de Orde van Prémontré intussen het privilege van exemptie had verkregen. Toen *MA* werd opgesteld was het statuut overbodig geworden ».

²³) Alexandri III, 27 april. 1177, (JL 12813), ed. J. LEPAIGE, o. c., n. 19, p. 631-634. In bulla vero *In eminenti* (Lucii III, 10 martii 1184, (JL 15000), ed. *ibid.*, n. 21, p. 634-639) textus sic mutatur: « Electo autem fratres ecclesiae statim obedientiam promittant, qui non quasi absolutus... ». Haec mutatio, ut infra

ratur, quam omnes abbates non exempti stricta obligatione emittere tenentur, ut G. Schreiber aperte demonstravit, et idcirco subiectionis eorum indicium certum constituit ²⁴). Haec subiectio forte clarius adhuc pateret si formula, qua abbates Praemonstratenses usi sunt, nobis innotesceret. Etenim formula ab abbatibus Cisterciensibus adhibita : « Ego frater..., abbas Cisterciensis Ordinis, subiectionem et reverentiam et obedientiam, a sanctis Patribus constitutam secundum regulam sancti Benedicti, tibi, domine episcope, tuisque successoribus canonice substituendis, et Sanctae Sedi Apostolicae, salvo ordine meo, perpetuo me exhibiturum promitto » ²⁵), clare eorum conditionem exprimit.

Si igitur Praemonstratensium officium episcopo proprio obediendi indubium est, tamen non facile eruitur quid Praemonstratensibus sibi velit in concreto haec notio obedientiae, subiectionis

demonstratur, quaestionem afficit cuinam in Ordine Praemonstratensi de iure competat abbatem confirmare.

Bulla *In eminenti* privilegium commune Ordinis Praemonstratensis constituit, a Romanis Pontificibus postea non semel renovatum (cfr. *In eminenti*, Urbani III, 30 iunii 1187, (JL 15993), ed. *ibid.*, n. 23, p. 640-641; Clementis III, 15 oct. 1188, (JL 16332), ed. *ibid.*, n. 26, p. 643; Innocentii III, 27 iulii 1198, (Potthast 334), ed. *ibid.*, n. 29, p. 645; Honorii III, 11 maii 1217, (Potthast 5545), ed. *ibid.*, n. 38, p. 649-650; Gregorii IX, 3 sept. 1227, (Potthast 8026), ed. *ibid.*, n. 51, p. 655-656; Gregorii IX, 13 martii 1228, (Potthast 8142), ed. R. CHOPPIN, *De sacra politia forensi libri tres*, Lutetiae Parisiorum, 1577, p. 479) et in libro Cancellariae Apostolicae insertum (cfr. M. TANGL, *Die päpstlichen Kanzleiordnungen von 1100-1500*, Saalen, 1959, Formula IV: *In eminenti*, p. 234-239).

De praedicta bulla autem invenitur lectura discrepans in aliquo originali transsumpto, diei 8 aug. 1186 pro abbacia Tongerloënsi (cfr. J. RAMACKERS, *Papsturkunden in den Niederlanden (Abhandlungen der Gesellschaft der Wissenschaften zu Göttingen, Phil.-hist. Klasse, ser. III, t. IX)*, Berolini, 1934, n. 276, p. 424-425) et etiam in bulla Urbani III anni 1186 pro monasterio Ninoviensi, edita a J. J. DE SMET, in *Codex diplomaticus abbaciae Ninoviensis*, in *Corpus Chronicorum Flandriae (Collection de Chroniques belges inédites — Publications de la Commission royale d'Histoire)*, t. II, Bruxellis, 1841, n. 53, p. 789-792. Tenor illarum litterarum ex parte cum bulla *In Apostolica Sedis* congruit, plerisque tamen innovationibus privilegii communis *In eminenti* praetermissis, scilicet n. 9, 14, 21, 24, 30, 31, 34, 36, 40, 42, 43 et 44 Formulae IV, *In eminenti* (cfr. M. TANGL, o. et loc. cit.).

²⁴) G. SCHREIBER, o. c., t. I, p. 141. Si monasterii exempti abbas, fraude vel dolo circumventus, episcopo obedientiam promittit, conditioni iuridicae monasterii nullatenus praeiudicatur (GOFFREDUS DE TRANO, o. c., 3.36. *de religiosis domibus*, n. 4; cfr. c. *Cum dilectus*, X 3.36.8).

²⁵) c. *Ne Dei ecclesiam*, X 5.3.43.

et reverentiae. In statutis enim et in aliis fontibus iuris particularis tantummodo mentio fit de honoribus episcopo praestandis ubi aulam capituli intrare ipsi contigerit ²⁶⁾. Procul dubio in iure communi notio « obedientiae » duplex elementum includit : ut regulares praescripta et praecepta episcopalia observent, et praesertim, uti videtur, ne iura episcopo vi legis iurisdictionis competentia violent. Regulares enim ad legem iurisdictionis servandam ex obedientia teneri patet ex *Lectura Hostiensis* in c. *Sane*, X 5.31.5, quo statuitur abbatibus, si episcopi aliquid ab eis praeter debitam obedientiam contra libertatem ordinis indultam exigant, liberum esse petita denegare ²⁷⁾. Ad verba *debita obedientia* Hostiensis, dictum Tancredi ut glossam assumens, notat hoc verbum nihil aliud significare quam ius episcopi visitandi ac corrigendi regulares ac abbatem confirmandi ²⁸⁾ ; quae iura ad legem iurisdictionis pertinent. Consequenter, secundum hanc interpretationem, notioni obedientiae inest obligatio legem iurisdictionis servandi, aliis verbis, episcopo suum tribuendi. Hoc idem principium, iudicio nostro, etiam subest c. *Quod super his*, X 1.33.9, statuenti abbatem, qui synodo adesse recusaverit, compellendum esse ut veniat ac debitam episcopo obedientiam et reverentiam exhibeat ²⁹⁾. In quo casu obedientia abba-

²⁶⁾ *Primaria instituta canonicorum Praemonstratensium*, Dist. 1 cap. 4, de capitulo: « Quod si episcopus vel abbas vel archidiaconus vel etiam rex aliquando capitulum intraverit, assurgentes ei omnes inclinent, cum ante eos transierit. Quod si fraternitatem quaesierit, assurgentibus omnibus, concedatur ei per librum... ». Haec statuta edidit E. MARTÈNE, *De antiquis Ecclesiae ritibus*, t. III, Antverpiae, 1737, col. 890-926 (Signum M). Inter aa. 1161-1165, iuxta I. J. van de Westelaken (*Praemonstratenzer Wetgeving*, in *Anal. Praem.*, t. XXXVIII, 1962, p. 36-37), conscripta esse videntur.

Idem praescriptum invenitur in statutis aa. 1236-1238 redactis (D. 1 c. 4, de capitulo quotidiano), editis a Pl. F. LEFÈVRE, *Les Statuts de Prémontré réformés sur les ordres de Grégoire IX et d'Innocent IV au XIII^e siècle* (Bibliothèque de la Revue d'histoire ecclésiastique, fasc. 23), Lovanii, 1946 (Signum L).

²⁷⁾ c. *Sane*, X 5.31.5: « Sane, si episcopi aliquid ab abbatibus praeter debitam obedientiam contra libertatem ordinis a praedecessoribus nostris et a nobis indultam exigunt, liberum sit abbatibus auctoritate apostolica quod petitur denegare ».

²⁸⁾ HOSTIENSIS, *Lectura*, in c. *Sane*, X 5.31.5, sub v. *obedientiam*: « ... Loquitur ergo hic non de libertate exemptionis plenae, sed de alia concessa huic ordini, quod episcopi nihil ab eis exigant praeter debitam obedientiam, in qua tantum intelligendum est quod episcopus potest ipsos visitare et corrigere et abbatem confirmare, sed nullum aliud temporale debet percipere ab eisdem secundum Tancredum ».

²⁹⁾ c. *Quod super his*, X 1.33.9: « Quod super his... abbates et sacerdotes

tem principaliter adstringit ut obligationi synodo assistendi satisfaciat, seu iussis episcopi obtemperet, et secundarie ut statuta synodalia observet.

Huic vero subiectioni temperamentum ponendum est. Nam obedientia regularium erga proprium episcopum non ita urget ut semper ei filialem obsequium praestandum sit. Vi iuris communis enim numquam adstringuntur ad obtemperandum praescripto contra propriam regulam rite approbatam³⁰⁾; unde principium iuridicum viget, vi

dioecesana tibi lege subditos, qui ad tuam synodum venire contemnunt, dummodo in ipsa synodo non ducas aliquid statuendum, quod canonicis obviet institutis, per censuras ecclesiasticas ad synodum ipsam venire compellas, et debitam tibi obedientiam et reverentiam exhibere ».

Decretalistae inter se dissentiunt quandonam abbates synodo adesse teneantur. Cum in c. *Quod super his*, X 1.33.9, legatur « abbates... dioecesana tibi lege subditos », plures opinantur abbates tantum synodo adstrictos esse, monasterio populum aut capellas habente. Etenim tunc tantum abbas legi dioecesanae subiectus est (cfr. INNOCENTIUS IV, o. c., in hoc cap., sub v. *dioecesana*; HOSTIENSIS, *Summa*, 1.31. *de off. ord.*, § *quid pertinet*, sub § *sunt autem quaedam*). Alii autem contendunt abbatem semper synodo interesse debere (ABBAS ANTIQUUS, o. c., in hoc cap., sub v. *obviet*; HOSTIENSIS, *Lectura*, in hoc cap., sub v. *dioecesana*; minus autem absolute *Glossa ordinaria*, in hoc cap., sub eod. v.). Forte huius discussionis causa, decretalistae non conveniunt utrum synodus ad legem dioecesanam (cfr. *Glossa ordinaria*, in c. *Dilectus*, X 1.31.18, sub v. *de lege iurisdictionis*; INNOCENTIUS IV, o. c., in c. *Theodosius*, X 3.35.1, sub v. *vendicare*; ABBAS ANTIQUUS, o. c., in c. *Conquerente*, X 1.31.16, sub v. *synodaticum*; HOSTIENSIS, *Summa*, loc. cit.), an ad legem iurisdictionis pertineat (cfr. ABBAS ANTIQUUS, o. c., in c. *Quod super his*, X 1.33.9, sub v. *obviet*; HOSTIENSIS, *Lectura*, in c. *Conquerente*, X 1.31.16, sub v. *synodus*; in c. *Dilectus*, X 1.31.18, sub v. *ad legem iurisdictionis*; in c. *Quod super his*, X 1.33.9, sub v. *dioecesana*). Diplomatus episcopales statuentibus abbates Praemonstratenses synodo assistere debere, plerumque quidem invitatione praecedente, dirimi nequit utrum vi legis dioecesanae, an vi legis iurisdictionis eorum praesentia requiratur. Etenim pleraque monasteria, pro quibus documenta data sunt, capellas habuerunt. Inter alia mentionem de synodo faciunt charta Burchardi, episcopi Cameracensis, pro abbacia Tongerloënsi (1130-1131, ed. M. A. ERENS, *De oorkonden der Abdij Tongerlo (Commissie voor geschiedkundige en folkloristische opzoekingen der Provincie Antwerpen)*, t. I, Tongerloae, 1948, n. 1, p. 3), charta Nicolai, episcopi eiusdem dioecesis, pro abbacia Ninoviensi (1139, ed. J. J. DE SMET, *Codex diplomaticus abbatiae Ninoviensis*, in o. c., t. II, n. 3, p. 754) ac chartae in notis 12, 13 et 14 memoratae. Etiam e bulla *Piae postulatio*, Innocentii II, (16 aprilis 1139, (JL 8000), ed. C. L. HUGO, o. c., t. I, Prob., col. CXXV-CXXVI) non patet quare abbas Averbodiensis monasterii ad synodum venire debeat.

³⁰⁾ INNOCENTIUS IV, o. et loc. cit.; HOSTIENSIS, *Summa*, 1.11. *de temp. ord. et qual. ord.*, § *et cui*, sub § *quarta decima regula*, n. 31; *Lectura*, in c. *Dilectus*, X 1.23.10, sub v. *salva sua regula*.

cuius in illis materiis episcopo subduntur, pro quibus regula ordinationem non habet. Quodam modo ergo regulae priores partes tribuendae sunt; in omnibus quae regula non ordinantur, episcopo obtemperandum est. In his autem quae in regula continentur, magis abbati quam episcopo obediatur, ita ut in culpis contra regulam emendandis ille episcopo praecedat ³¹⁾. Idem principium subest etiam formulae « professionis » ab installando abbate Cisterciensi episcopo suo factae; nam ibi obedientia *salvo ordine meo* promittitur ³²⁾. Deficiente formula « professionis » ab abbatibus Praemonstratensibus adhibita, nescitur num etiam in Ordine Praemonstratensi huiusmodi restrictio in usu fuerit. Nobis tantummodo innotescit monitio bullae *In Apostolicae Sedis*, iuxta quam cavendum est ne electi, cum episcopo plenitudinem officii accepturi praesentantur, occasione illa constitutiones ordinis sui transgrediantur nec in aliquo eius praevaricatores existant ³³⁾.

Ex his omnibus ergo concludi oportet Praemonstratenses episcopo dioecesano addictos esse reverentia et obedientia, non tamen absolute urgenti, quae est conditio regularium, qui plena exemptione non gaudent. Proinde sicut alii regulares, in tali conditione versantes, Praemonstratenses legi iurisdictionis totaliter subesse debent, ac, inter alia, ad episcopum dioecesanum et monasteriorum eorum visitatio et abbas electi confirmatio spectare deberent. Revera in his eorum conditio iuri communi minime congruere videtur.

2. DE IURE EPISCOPI DIOECESANI CONFIRMANDI ABBATEM ELECTUM.

Confirmatio abbatis non exempti vi iuris communis ad episcopum dioecesanum spectat ³⁴⁾. Haec tamen episcopalis praerogativa in c. *Conquerente*, X 1.31.16, non memoratur, cum hoc capitulum, iura episcopi in capellas monasterii respiciens, idcirco non de confirmatione, sed de institutione et destitutione agere potuerit.

³¹⁾ GOFFREDUS DE TRANO, o. c., 1.33. *de maior. et obed.*, n. 9; INNOCENTIUS IV, o. c., in c. *Quanto*, X 1.31.7, sub v. *monitionem*.

³²⁾ Cfr. supra p. 12.

³³⁾ Cfr. supra p. 11.

³⁴⁾ c. *Cum dilectus*, X 1.4.8; INNOCENTIUS IV, o. c., in hoc cap., sub v. *constitutum*; in c. *In singulis*, X 3.35.7, sub v. *omnino*; HOSTIENSIS, *Lectura*, in c. *Statuimus*, X 1.10.1, sub v. *abbates vestros*. Cfr. supra nota 9 et U. BERLIÈRE, *Les élections abbatiales au Moyen Age* (Mémoires publiés par l'Académie royale de Belgique, Classe des lettres, ser. II, t. XX), Bruxellis, 1927, p. 11 et 53.

Confirmationis efficacia imprimis determinata, traditur modus procedendi in electione ; nam electus confirmari nequit nisi electio rite peracta praecesserit, ac ita insuper confirmatio in suo contextu ponitur. Inspectis deinde statutis in ordine ad determinandum cuiusnam confirmatio abbatis Praemonstratensis competat, ius patris abbatis confirmandi electum, ibi assertum, iuridice fundari oportet. Haec tamen conditio privilegiata exemptio dici nequit, cum concessio curae monasterii semper episcopo relinquatur.

Confirmationis momentum et necessitas eruuntur ex iuris praescripto, statuente electo nondum confirmato nefas esse in temporalibus et spiritualibus monasterium administrare ³⁵⁾. Huic tamen normae generali nonnumquam, sive ex iuris praescripto, sive ex privilegio, derogatur. Sic abbas quidam monasterii exempti, extra Italiam constituti, vi c. *Nihil*, X 1.6.44, antequam confirmationem, Romano Pontifici reservatam, consequatur, iam dispensative propter necessitates ecclesiarum et utilitates, certis conditionibus et limitationibus, regimen in spiritualibus et temporalibus exercere potuit. Immo, iuxta Hostiensem, vi c. *Statuimus*, X 1.10.1, etiam abbates non exempti iam absque ulla confirmatione interdum officium suum explere valent. Nam, quamvis capitulum citatum ad apicem legis tantum indulgeat ut abbates, quos episcopus forte benedicere renuerit, monachos proprios benedicant, et alia exerceant, quae ad huiusmodi abbatiale officium pertinent ³⁶⁾, eadem dispositio, iuxta Hostiensem, etiam applicanda est, ubi episcopus confirmationem malitiose seu sine causa recusaverit ³⁷⁾. Adnotandum tamen est

³⁵⁾ c. *Nosti*, X 1.6.9, et c. *Qualiter*, X 1.6.17. Potestas exercendi ea quae sunt ordinis, non transfertur per electionis confirmationem, sed per consecrationem (cfr. c. *Transmissam*, X 1.6.15).

³⁶⁾ c. *Statuimus*, X 1.10.1: « Statuimus praeterea ut si episcopus, tertio cum humilitate ac devotione, sicut convenit, requisitus, substitutos abbates vestros benedicere forte renuerit, eisdem abbatibus liceat proprios monachos benedicere et alia quae ad officium huiusmodi pertinent, exercere donec ipsi episcopi suam durtiam recogitent et abbates benedicere non recusent ».

³⁷⁾ HOSTIENSIS, *Lectura*, in c. *Statuimus*, X 1.10.1, sub v. *benedicere*. Iuxta Innocentium IV quibusdam ordinibus ex privilegio indultum est ut abbates sine confirmatione, benedictione recepta, ministrent, cum benedictio in locum confirmationis succedat, immo sine benedictione, auctoritate huius capituli, si illa malitiose denegetur (o. c., in c. *Transmissam*, X 1.6.15. sub v. *confirmationem*; in c. *Statuimus*, X 1.10.1, sub v. *substitutos, et renuerit*). Disputabatur vero an necessitas confirmationis contraria consuetudine tollatur (cfr. INNOCENTIUS IV, o. c., in c. *Transmissam*, X 1.6.15, sub v. *confirmationem*; cfr. c. *Cum venerabilis*, X 1.4.7).

c. *Statuimus*, X 1.10.1, licet generalibus verbis conceptum sit, iuxta decretalistas, tantum Cistercienses et alios ordines, simili privilegio gaudentes respicere ³⁸⁾).

Ut ex praedictis iam patet, electio communiter suam efficaciam confirmatione consequitur, qua electus iuridice fit capax officium suum ineundi et explendi. Sed vi iuris communis electio confirmari non valet, nisi ad normam iuris peracta fuerit.

In electione autem, ex constitutione Concilii Lateranensis quarti, procedendum est, et quidem ad validitatem, iuxta unum ex tribus modis sequentibus ³⁹⁾ : per viam inspirationis scilicet, cum omnes electores quasi per inspirationem Spiritus Sancti concorditer moti, nullo praecedente tractatu, communiter uno corde et ore absque vitio in eundem consentiunt ⁴⁰⁾ ; per compromissum, cum eligendi facultas quibusdam tantum viris idoneis committitur, vice omnium ecclesiae viduatae de pastore providentibus, ac tandem per viam scrutinii.

Ubi proceditur per viam scrutinii, assumuntur tres de collegio, fide digni, qui secrete ac singillatim vota cunctorum exquirunt et in scriptis redigunt. Votis omnium exquisitis, scrutinium publicatur. Deinde sequitur collatio non solum numeri ad numerum, seu examen votorum quae unusquisque obtinuit, sed etiam zeli ad zelum, et meriti ad meritum, seu discussio de idoneitate candidatorum ⁴¹⁾.

³⁸⁾ INNOCENTIUS IV, o. et loc. cit.; ABBAS ANTIQUUS, o. c., in c. *Statuimus*, X 1.10.1, in casu; HOSTIENSIS, *Lectura*, in hoc cap., sub v. *praeterea*, et *abbatibus*. Praemonstratenses privilegio gaudebant, cuius tenor erat: « Si quis ex vobis canonice electus in abbatem, dioecesano episcopo semel et iterum per abbates vestri Ordinis praesentatus, benedictionem ab eo non poterit obtinere, ne ecclesia, ad quam vocatus est, destituta consilio periclitetur, vice et loco abbatis fungatur in ea, tam in exterioribus providendis, quam in interioribus corrigendis, donec aut interventu generalis capituli vestri, aut praecepto Romani Pontificis, seu metropolitani, benedictionem obtineat » (*In Apostolicae Sedis ac In eminenti*; cfr. supra, nota 23). Igitur benedictione negata, abbas curam monasterii obtinet. Hoc privilegio necessitati confirmationis non derogatur, vero quidem necessitati curae ab episcopo recipiendae. Etenim episcopus, ut infra dicitur, quoad abbates Praemonstratenses ius confirmandi electionem non habuit, sed tantum ius curam concedendi. Inde specialis formula huius privilegii.

³⁹⁾ c. 24; in decretalibus Gregorii IX: c. *Quia propter*, X 1.6.42.

⁴⁰⁾ Cum praemium quidem ac merces non raro electioni per clamorem subesse, haec iuris favore non gaudebat (cfr. c. *Osius*, X 1.6.2).

⁴¹⁾ c. *Cumana*, X 1.6.50; c. *In Genesi*, X 1.6.55. Haec collatio, licet semper necessaria, praesertim autem controversia inter electores de candidatorum idoneitate exorta, momentum habet. Quare in omnibus electionibus non eodem modo

Collatione habita, statim ille communiter electus habetur, in quem omnes vel maior et sanior pars capituli consentiunt ⁴²⁾. Sed ut haec electio effectum suum plenum sortiatur, a superiore confirmanda est, qui electum confirmare potest ut suo munere fungatur, postquam et electionis processum et personam electi, scilicet eius sufficientem scientiam, aetatem legitimam, necnon vitae honestatem examinaverit ac rite comprobaverit ⁴³⁾.

Haec descriptio non parum confert ad recte intelligendas et interpretandas statutorum dispositiones circa electionem exponendas, quae fontes primarios constituunt, e quibus eruitur ad quemnam spectet confirmatio abbatis Praemonstratensis.

Statuta *M* quaedam elementa iam non spernenda praebent ⁴⁴⁾. Statuunt enim, abbate ecclesiae Praemonstratensis defuncto, abbates Laudunensis, Floreffensis ac Cuissiacensis ecclesiae ac quatuor alios advocandos esse, *ut per eorum consilium fratres* [Praemonstratensis ecclesiae] *communem electionem faciant*; defuncto vero quolibet alio abbate, abbatem *ad cuius curam defuncti specialiter pertinet locus* — scilicet patrem abbatem — cum aliis duobus coabbatibus arcessendum esse *non ad aliquam vim aut potestatem, sed ad hoc solummodo, ut si fratres in electione sua concordēs fuerint, laudent*

instituenda est; tantummodo cum electio in discordia celebratur, plena collatio praescribitur (cfr. INNOCENTIUS IV, o. c., in c. *Quia propter*, X 1.6.42, sub v. *collatione*, et alioquin; in c. *In Genesi*, X 1.6.55, sub v. *plene*).

⁴²⁾ c. *Quia propter*, X 1.6.42; c. *Cum post*, X 1.6.46; c. *In Genesi*, X 1.6.55; c. *Ecclesia*, X 1.6.57; cfr. c. *Coram dilecto*, X 1.6.25; c. *Auditis*, X 1.6.29; c. *Ecclesia*, X 1.6.48; c. *Cumana*, X 1.6.50; nisi maior pars indignum eligit: cfr. c. *Dudum*, X 1.6.22 et c. *Congregato*, X 1.6.33. Publicato scrutinio, variari nequeunt electores: cfr. c. *Publicato*, X 1.6.58.

⁴³⁾ c. *Postquam*, X 1.6.3; c. *Cum vobis*, X 1.6.19; c. *Dudum*, X 1.6.22; c. *Nihil*, X 1.6.44; cfr. c. *Sicut*, X 5.3.33. Procul dubio etiamsi electio fiat per inspirationem vel compromissum, confirmatio necessaria videtur. Haec autem sola sufficit ut electus in temporalibus et spiritualibus administrare possit; nec requiritur missio in possessionem, investitura vel installatio (INNOCENTIUS IV, o. c., in c. *Transmissam*, X 1.6.15, sub v. *confirmationem*). Itaque ad solam solemnitatem fit, iuxta Innocentium IV, installatio. Quae tamen, ubi consuetudo installandi invenitur, servanda est, non quidem ad validitatem, cum iuxta illum, contradicentibus aliis, confirmatus ante installationem iam administrare possit, nisi etiam hoc consuetudine contraria prohibetur (o. c., in c. *Cum super*, X 2.12.4, sub v. *confirmatus*). Nota abbatis installationem seu « ponere in sedem » praerogativam archidiaconi esse (cfr. c. *Ut nostrum*, X 1.23.9).

⁴⁴⁾ Primaria Statuta *W* nihil omnino statuunt.

electionem et confirment; si vero electores discordes fuerint, eos ad concordiam revocent et partis sanioris consilium corroborent ⁴⁵⁾.

Statuta *L* materiam electionis et confirmationis pressius et abundantius ordinant, sed normae Statutorum *M* quoad substantiam exinde non mutantur. In specie statuitur, ecclesia Praemonstratensi vacante, cum consilio trium priorum abbatum, scilicet Laudunensis, Floreffiensis et Cuissiacensis ecclesiae, personam idoneam in abbatem a canonicis ipsius ecclesiae eligendam esse, advocatis insuper quatuor aliis abbatibus ad eandem ecclesiam pertinentibus ⁴⁶⁾. In aliis vero ecclesiis, electio celebratur in praesentia patris abbatis ac duorum vel trium abbatum, quos pater abbas *ad consilium suum duxerit advocandos* ⁴⁷⁾. Die electionis, celebrata Missa de Spiritu Sancto ac recitato in aula capitulari statutorum capitulo de electione, pater abbas electoribus tres electionis formas, in Concilio Lateranensi approbatas, proponit, deinde in electionis tractatu proceditur, secundum formam assumptam et consuetudinem legitimam in Ordine admissam. Tractatis tractandis, nomen personae, in quam aut fratres omnes aut electores vice omnium assumpti, sive maior ac sanior eorum pars, canonice consentiunt, patri abbati secreto indicatur. Electione diligenter recognita, pater abbas, idoneitatem electi compertam habens, sine difficultate eum fratribus pastorem concedit; sin autem minus idoneam iudicaverit, dummodo iustam causam reprobationis indicet, electum reprobare valet ⁴⁸⁾. Si autem, discordia vel scissura inter eos exorta, fratres facile ad concordiam aut unitatem revocari nequeunt, pater abbas de consilio coabbatum suorum providet personam idoneam, quam sine contradictione in

⁴⁵⁾ *M D. 4 c. 8, de electione abbatis.*

⁴⁶⁾ *L D. 4 c. 6, de electione et translatione abbatum.* Hoc iam praescribitur bullis *In Apostolicae Sedis* et *In eminenti* (cfr. supra nota 23).

⁴⁷⁾ *L, loc. cit.* Bullae vero *In Apostolicae Sedis* et *In eminenti* (cfr. supra nota 23) nullam mentionem faciunt de praesentia aliorum abbatum. Statuunt tantum: « Verum cum aliqua ecclesiarum vestrarum abbate proprio fuerit destituta, sub patris abbatis potestate ac dispositione consistat et cum eiusdem consilio, qui eligendus fuerit, a fratribus eligatur ».

⁴⁸⁾ Iuxta decretum Gregorii IX (*Audivimus et audientes*, 23 iunii 1232, (Potthast 8955), ed. Pl. F. LEFÈVRE, o. c., p. 127-138), postea Statutis *L* insertum (*loc. cit.*), visitatores diligenter inquirere debent an pater abbas magis idoneis forsitan reprobatis, minus dignos promoverit; si huiusmodi delicti culpabilis repertus sit, in sequenti capitulo deponendus est.

abbatem recipiant ⁴⁹). Demum fratres abbati electo, vel a patre abbate imposito, statim obedientiam promittunt ⁵⁰).

Ex his omnibus patet electi confirmationem, si modo ecclesiam Praemonstratensem ipsam excludis, ad competentem Ordinis auctoritatem spectare. Nullum in hac re dubium relinquunt Statuta *M*, quae decernunt, et quidem explicite, patri abbati *cum* coabbatibus suis ius competere electionem concorditer celebratam laudandi ac confirmandi, aut fratres ad concordiam revocandi et partis sanioris consilium corroborandi. Statuta *L* econtra tantum de concessione abbatis loquuntur. Sed, ut infra patebit, haec formula incerta non impedit quominus contendamus his verbis confirmationem designari, quae heic, aliter ac Statutis *M* ordinatum fuerat, patri abbati exclusive reservatur.

Quaestio nunc ponitur a quam auctoritate abbas electus ecclesiae Praemonstratensis confirmandus sit. Competitne hoc officium, deficiente quacumque dispositione explicita, abbatibus Laudunensis, Floreffensis ac Cuissiacensis ecclesiae, quippe qui in ecclesiam Praemonstratensem illa iura exercent, quae in aliis monasteriis patri abbati obveniunt? Etenim notum est curam abbatiae filiae viduae patri abbati ⁵¹), curam vero abbatiae Praemonstratensis tribus praedictis abbatibus commissam fuisse ⁵²), ac iura patris abbatis quoad visitationem ⁵³) et electionem abbatialem in canonica filia, iisdem tribus abbatibus in abbatiam Praemonstratensem competere ⁵⁴). An vero absentia cuiuscumque indicii interpretanda sit ex possessione privilegii, pluribus ordinibus iam concessi, vi cuius moderator generalis statim post electionem, nulla confirmatione requisita, totum regimen consequitur ⁵⁵)? Etsi tenor huiusmodi privi-

⁴⁹) Haec facultas ei iam conceditur in bullis *In Apostolicae Sedis* et *In eminenti* (cfr. supra nota 23).

⁵⁰) Huius praescripti primam mentionem invenimus in bulla *In eminenti* (cfr. supra nota 23).

⁵¹) *M D. 4 c. 8, de electione abbatis; In Apostolicae Sedis* et *In eminenti* (cfr. supra nota 23).

⁵²) *In Apostolicae Sedis* et *In eminenti* (cfr. supra nota 23); *L D. 4 c. 6, de electione et translatione abbatum*.

⁵³) Cfr. infra p. 25-26.

⁵⁴) Cfr. supra p. 18-19, infra p. 27.

⁵⁵) HOSTIENSIS, *Lectura*, in c. *Quia nos*, X 2.28.32, sub v. *noluerint*: «... usque ad haec tempora de magistro generali Fratrum Praedicatorum et ministro generali Fratrum Minorum, abbate Cisterciensi et priore Cartusiensi, magistro temporali et hospitali fuit hactenus sic servatum, et in quibusdam aliis religionibus, quae

legii pro Ordine non inveniatur, eius existentia, saltem primo aspectu, non adeo hypothetica videtur. Etenim a. 1241, cum Nicolaus, Sancti-Judoci-in-Nemore abbas, ad regimen ecclesiae Praemonstratensis a fratribus electus esset, episcopus Laudunensis, « asserens ad se spectare ius examinandi personam et confirmandi vel infirmandi electionem eius et se in quasi-possessione huius iuris existere, inhibuit ei ne, priusquam ab ipso eadem confirmaretur electio, administrationi se ingereret abbatiae ». Abbas vero « proponens quod inhibitioni huiusmodi parere minime tenebatur, cum super his Ordo Praemonstratensis Apostolicae Sedis privilegiis sit munitus, nec in huiusmodi possessione episcopus, sicut dixerat, existebat, ne hac occasione procederet contra eum » ad Apostolicae Sedis audientiam appellavit. Episcopus autem, spreta appellatione, in eum et priorem ac quosdam alios canonicos, qui eum tamquam abbatem agnoverant, excommunicationis sententiam auctoritate propria promulgavit. Abbas Nicolaus autem, absolutionis beneficio ad cautelam recepto, idcirco Romani Pontificis conspectui se repraesentavit, sed in Urbe defunctus est. Unde Gregorius IX Sancti Dionysii in Francia et Corbeiensis abbatibus mandavit, ut, Praemonstratensi ecclesiae de novo abbate provisa, partibus terminum peremptorium competentem praefigerent, infra quem Apostolicae Sedi se repraesentarent ⁵⁶⁾. Quod ubi sententia definitiva huius conflictus nobis non innotescit, cum certitudine determinari nequit ad quodnam privilegium canonici Praemonstratenses provocaverint. Cum vero vestigium desit cuiusdam privilegii specialis ecclesiae Praemonstratensi concessi, similis illi elargito aliis ordinibus, et canonici Praemonstratenses asserant Ordinem quidem, sed non monasterium Praemonstratense, quoad confirmationem abbatum privilegiis munitum esse, probabiliter ad privilegium, totum Ordinem respiciens, recursum habuerunt. Hoc ergo privilegio primarie ius confirmationis patris abbatis innititur, ac secundarie ius confirmandi abbatem Praemonstratensem, quod verisimilitertribuendum est collegio abbatum Laudu-

etiam habent ex privilegio speciali quod eo ipso quod magister vel minister seu eorum superior, quocumque nomine censeatur, communiter ab omnibus vel maiore et saniore parte fratrum eligitur, ius administrandi consequitur, quia eligendo confirmatur, et confirmando eligitur... ».

⁵⁶⁾ *Dilectus filius*, Gregorii IX, 17 iunii 1241, (Potthast —), ed. L. AUVRAY, *Les registres de Grégoire IX* (Bibliothèque des Ecoles françaises d'Athènes et de Rome, ser. II, t. IX), t. III, Lutetiae Parisiorum, 1908, n. 6082, col. 540-541; *Ex parte*, Gregorii IX, 25 iulii 1241, (Potthast —), ed. *ibid.*, n. 6092, col. 551-552.

nensis, Floreffiensis et Cuissiacensis ecclesiae, qui ad instar patris abbatis iura paternitatis erga Praemonstratum exercere videntur.

Praedicta vero instanter indagationem requirunt circa iuridicum fundamentum, quo ius patris abbatis electum confirmandi nititur, quia, si excipitur bulla *Semper Apostolicae Sedis*, qua Adrianus IV ius confirmandi abbatem Bonae Spei abbati Praemonstratensis ecclesiae, praedicti monasterii patri abbati, concessit, nullo documento pontificali hoc ius explicitè patri abbati tribuitur ⁵⁷⁾.

Ad solutionem huius quaestionis duas tantum bullas, scilicet *In eminenti* et *Virtute perspicuos* prae manibus habemus, quibus inspectis, sequens conclusio patet : ius confirmandi abbatem monasteriorum Praemonstratensium ad episcopum dioecesanum non spectat.

Bulla enim *In eminenti*, a. 1184 concessa, cum statuatur fratres post electionem statim electo obedientiam esse promissuros, antequam abbas electus episcopo suo praesentetur, plenitudinem officii, scilicet curam et benedictionem ⁵⁸⁾, ab eo percepturus ⁵⁹⁾, supponit confirmationem iam peractam fuisse, quando abbas episcopo praesentatur. Secus supervacanea videretur obedientiae promissio ; facultas enim confirmandi semper correlativum includit, facultatem scilicet electionem infirmandi.

Ex bulla *Virtute perspicuos*, a. 1246 data, deducendum videtur, confirmationem non ad episcopum spectare. Controversia enim in Ordine exorta erat circa quaestionem num abbas noviter electus a coabbatibus suis episcopo praesentatus, ab ipso examinandus esset antequam plenitudinem officii perciperet. Re ad Sedem Apostolicam delata propter dubium textum bullae *In eminenti*, Innocentius IV rescripsit electum in abbatem post praestitam sibi, iuxta tenorem privilegii, a fratribus obedientiam, ab episcopo, sine examine, monasterii curam et benedictionis gratiam percepturum esse,

⁵⁷⁾ 6 oct. (1155), (JL 10093), ed. J. RAMACKERS, o. c., n. 78, p. 205: « ... constituimus, ut abbate vestro... obeunte, salvis scriptis Apostolicae Sedis et generalibus Praemonstratensis Ordinis institutis, eligendi vobis abbatem facultatem liberam habeatis, vocato quidem ad electionem Praemonstratensi abbate et auctoritate confirmandi, si canonica fuerit electio, ei relicta. Si vero ipse interesse noluerit, vos pastorem vobis secundum Deum et disciplinae regularis statuta nihilominus eligatis ».

⁵⁸⁾ Haec sub plenitudine officii intelligenda sunt, ut patet ex bulla *Virtute perspicuos*, Innocentii IV, 10 oct. 1246, (Potthast 12295), ed. J. LEPAIGE, o. c., n. 75, p. 671-672.

⁵⁹⁾ Cfr. supra p. 11.

« cum de intentione praedecessorum nostrorum non videatur fuisse quod examinari a dioecesano praesentatus sibi deberet electus ». Etenim « si post factam examinationem benedictionem negari contingeret, supervacuum videretur obedientiam electo a fratribus praestitam exstitisse ac indecenter sibi concessum quod, benedictione negata, pleno fungeretur abbatis loco et officio ⁶⁰⁾, cum per hoc iudex et actor in causa sua fieri videretur » ⁶¹⁾. Sin autem confirmatio ad episcopum spectaret, Innocentius IV aliis argumentis usus esset : certo allegasset episcopum iam in confirmatione electum examinasse, ita ut nova examinatio instituenda non esset, dum inutilitatem obedientiae promissionis invocat et indecenter concessum dicit privilegium.

Ex his omnibus concludere ius confirmationis patri abbati expresse concessum esse, — quamvis hoc iure gaudeat de facto, — vim probativam illorum documentorum excederet. Standum ergo est praescripto statutorum, quo hoc ius patri abbati tribuitur, cum nullum argumentum contrarium afferri liceat.

Episcopum dioecesanum potestate electionem confirmandi carere, nullo modo probat Ordinem Praemonstratensem exemptum fuisse. De exemptione tantummodo ageretur, si electo cura monasterii, non ab episcopo dioecesano, cuius praerogativa est, sed ab alio concederetur. Licet communiter confirmatio concessionem curae includat ⁶²⁾, — quare supra dictum est electum vi confirmationis ius administrandi consequi, — non tamen semper : si nempe confirmans plenam potestatem episcopalem non habet, iuxta glossam Innocentii IV, adhuc episcopi interventus expectandus est ad curam consequendam ⁶³⁾. Cum bulla *Virtute perspicuos* explicite statuat

⁶⁰⁾ Cfr. supra nota 38.

⁶¹⁾ *Virtute perspicuos*, cfr. supra nota 58.

⁶²⁾ HOSTIENSIS, *Lectura*, in c. *Cum satis*, X 1.23.4, sub v. *animarum* : « ... Cura vero iurisdictionis est, non ordinis; et hanc recipit praelatus in confirmatione, supra, *de elec.*, *Transmissam* (X 1.6.15), vel institutione, infra, *de excess. prael.*, *Ad haec* (X 5.31.2) et *de priv.*, *Cum et plantare* (X 5.33.3) ».

⁶³⁾ o. c., in c. *In singulis*, X 3.35.7, sub v. *omnino*, n. 6 : « ... dicendum est quod refert an confirmet is qui est ordinarius loci et plenam potestatem habet a iure, ut... episcopi quantum ad praelatos ecclesiarum suarum dioecesium sibi subiectarum..., an confirmet alius; quia, si archiepiscopus vel episcopus aut Papa confirmet, ex ipsa confirmatione intelligitur ei concessa esse administratio..., secus autem est quando alii confirmant, qui non sunt locorum ordinarii, quia non sic plene praesunt illis, unde alterius, videlicet superioris utpote dioecesani, qui plenius curae ac regiminis est, convenientia expectatur... ».

abbates Praemonstratenses curam ab episcopo dioecesano accipere debere ⁶⁴), pater abbas hac plena potestate carere videtur. Itaque, licet pater abbas electum confirmet, ad Ordinis exemptionem concludi nequit.

Quomodo cura monasterii concedatur, nullibi explicitè statuitur. Assertum vero Innocentii IV, secundum quod in quibusdam ordinibus cura monasterii intelligitur data per benedictionem abbatialem ⁶⁵), Ordinem Praemonstratensem quod attinet, veritati congruere videtur. Etenim bullae *In Apostolicae Sedis* et *In eminenti* speciale privilegium continent, quo utilitati monasterii providetur, si forte episcopus benedictionem electo deneget; tunc is, etiam benedictione negata, vice et loco abbatis in eo fungi potest ⁶⁶).

Summatim igitur haec inquisitio circa facultatem episcopi abbatis electionem confirmandi sic referri potest. Ius confirmandi abbatis electi, quamquam vi iuris communis procul dubio episcopi est, Ordinem Praemonstratensem quod attinet, medio saeculo XIII^o ei non competit. Probatio huius asserti, non quidem directe, — cum nullibi explicitè ius confirmandi ei auferatur, — sed tantum indirecte, argumentis ex bullis *In eminenti* et *Virtute perspicuos* nititur. Confirmationem vero patri abbati devolutam esse, directe ex documentis pontificiis erui nequit. Cum vero abbas curam monasterii ab episcopo accipiat, verisimiliter ubi benedictio ei impertitur, Ordo dici nequit exemptione frui.

3. DE IURE EPISCOPI DIOECESANI VISITANDI MONASTERIA.

Non solum confirmare abbatem electum, sed etiam visitare monasteria suae dioecesis vi iuris communis episcopo competit, uti

⁶⁴) Cfr. supra p. 22-23. Hoc iam bulla *In Apostolicae Sedis* ordinatum fuit (cfr. supra p. 11), ac etiam in charta Alexandri, episcopi Leodiensis, pro abbacia Floreffensi legebatur (1130, ed. V. BARBIER, o. c., t. II, n. 10, p. 7: «... quod scilicet abbas Floreffensis sicut fratrum suorum, sic et populi curam animarum de manu episcopi Leodiensis accipiet...») necnon in charta eiusdem episcopi, largientis abbaciae Floreffensi territorium Verofli (1131, ed. *ibid.*, t. II, n. 8, p. 11: «... Ego igitur... eandem terram et medium decimae dedi ecclesiae Floreffensi... hoc modo, ut si locum multiplicaverit Deus in tantum, ut abbas ibidem ordinetur, erit in subiectione episcopi Leodiensis, sicut iustum est, et donum abbaciae ab illo accipiet »).

⁶⁵) o. c., in c. *Statuimus*, X 1.10.1, sub v. *substitutos*.

⁶⁶) Cfr. supra nota 38.

iam patet ex c. *Ut iuxta*, X 1.31.17⁶⁷⁾, sed apertius quidem ex c. *Conquerente*, X 1.31.16, ubi visitatio nominatur inter iura, iuxta decretalistas, ad legem iurisdictionis pertinentia.

In legislatione autem particulari Praemonstratensi visitatio ab episcopo instituenda non memoratur, sed tantum visitatio superioribus Ordinis incumbens, ita ut haec ultima sola agnita videatur⁶⁸⁾. Primum hoc indicium alicuius exemptionis, Ordini forte concessae, aliis adhuc argumentis confirmatur, licet quaedam alia non spernenda impedimento sint quominus concludatur Praemonstratenses exemptione a visitatione episcopi frui. Quare, postquam indicati sunt, ad normam statutorum, varii visitatores in Ordine eorumque inter se praecedentia, varia argumenta, tam pro quam contra exemptionem traduntur. Quibus omnibus attente ponderatis, iudicio nostro, constare videtur Praemonstratenses ab episcopo visitari non posse. Etenim, quamvis visitatio visitoribus Ordinis commissa per se visitationem episcopalem non excludat, absentia tamen omnis dispositionis contrariae necnon indicii visitationis ab episcopo reapse peractae, ac conamina Praemonstratensium repellendi omnem visitationem episcopo forte committendam, ita firmant explicitum praescriptum bullarum *Rei quam rectitudinis* ac *Pro divini*, ut obligatio, dubia quidem, procuracionem ratione visitationis praestandi certitudinem auferre nequeat.

Initio ius visitandi secundum statuta Praemonstratensia exclusive competit patri abbati, qui, vi Statutorum *W*, semel saltem in anno *eas, quas sua ecclesia genuit, abbatias paterna sollicitudine* visitat⁶⁹⁾, qui, iuxta Statuta *L*, officio suo etiam per delegatum fungi potest⁷⁰⁾. Cum vero abbas ecclesiae Praemonstratensis non solum in illis ecclesiis quas instituit, sed etiam in omnibus aliis eiusdem Ordinis et

⁶⁷⁾ *Ut iuxta*, X 1.31.17: « ... Attendentes igitur, quod indecens est, ut Remensi archiepiscopo in monasterio vestro visitationis officium exercente saeculares intersint, per quos possit in claustro dissolutionis materia provenire, firmiter inhibemus, ut nullos de cetero saeculares in capitulum, nisi duos vel tres de canonicis ecclesiae suae in decenti habitu, aliis, quos expedire viderit, religiosis adiunctis, secum visitationis tempore introducat ».

⁶⁸⁾ Cfr. D. DE CLERCK, *Disquisitio historico-iuridica de visitoribus in Ordine Praemonstratensi*, in *Anal. Praem.*, t. XXXIII, 1957, p. 193-216.

⁶⁹⁾ *W* c. *Quae lex sit inter abbatias quae se genuerunt. Item. Statuta posteriora idem praescribunt*: cfr. *M D.* 4 c. 6, *Quae lex sit inter abbatias quae se genuerunt*; *L D.* 4 c. 3, *Quae lex sit inter abbatias quae se genuerunt et de patribus abbatibus*.

⁷⁰⁾ *L*, loc. cit.

dignitatem et officium patris obtineat ⁷¹⁾, logice etiam ius visitationis in omnibus Ordinis ecclesiis habere debet. Hoc implicite confirmatum invenitur in Statutis *L*, quibus annuis circatoribus iniungitur ne ecclesias a Domino Praemonstratensi, per se vel per alium visitatas, illo anno visitent ⁷²⁾.

Iam autem ante a. 1177 ius visitationis etiam aliis personis, circatoribus scilicet annuis, confertur. Etenim, cum prae multitudine abbatiarum et remotione locorum patres abbates filias abbatias visitare nequiverint, per diversas provincias de abbatibus ecclesiarum, quae sibi vicinae sunt, ad singulas abbatias visitandas constituendi sunt duo circatores ⁷³⁾, sed ea lege ut, iuxta decreta reformatoria Gregorii IX, visitatores singulis annis in generali capitulo ita mutentur, ut de una circaria ad aliam assumantur, sed excipiuntur illae provinciae, ut postea indulgetur, in quibus paucae sunt abbatiae, quas circatores aliarum provinciarum commode visitare nequeunt ⁷⁴⁾. Adhibetur insuper illa cautela ut reticeatur nomen visitoris, qui in sequenti anno debeat visitare ⁷⁵⁾. Licet ratio eorum institutionis,

⁷¹⁾ Haec assimilatio satis tarde perficitur. Nititur clausula bullarum *In Apostolicae Sedis et In eminenti* (cfr. supra nota 23) sequenti: « Abbas autem Praemonstratensis ecclesiae, quae mater esse dignoscitur aliarum, non solum in illis ecclesiis quas instituit, sed etiam in omnibus aliis eiusdem Ordinis et dignitatem et officium patris obtineat, et ei ab omnibus tam abbatibus quam fratribus debita observantia impendatur ».

⁷²⁾ *L D. 4 c. 8, De visitationibus et inquisitionibus faciendis, et qualiter moneri debeat praelatus*. Etiam in bulla *Pro divini*, Innocentii IV, 17 aprilis 1247, abbas Praemonstratensis numeratur inter personas ius visitandi habentes (cfr. infra nota 85).

⁷³⁾ *M D. 4 c. 7, De annuis circatoribus*: « Quia vero pro multitudine abbatiarum et remotione locorum patres abbates filias abbatias quandoque sicut statutum est, visitare non possunt, provisum est ut per diversas provincias abbatiae quae sibi vicinae sunt, de abbatibus earundem ecclesiarum singulis annis duos habeant circatores qui singulas abbatias visitent ». Eis praecipitur ut ea quae corrigenda invenerint, aut per se corrigant, aut ad generale capitulum diligenter inquisita referant. Si autem fratres aliquid in abbate reprehenderint, quod tolerari non debeat nec deceat, circatores ne se immisceant, nisi pater abbas delinquentem corrigere non potuerit aut noluerit (*ibid.*).

⁷⁴⁾ *Olim intellecto*, Gregorii IX, 14 febr. 1234, (Potthast 9412), ed. L. AUVRAY, o. c., t. I, n. 1797, col. 984-985.

⁷⁵⁾ *Audivimus et audientes*, Gregorii IX, 23 iunii 1232, (Potthast 8955), ed. Pl. F. LEFÈVRE, o. c., p. 127-138: « Ut cum per incuriam seu negligentiam diffinitorum et visitorum ipsius Ordinis, excessus excedentium remaneant incorrecti, quolibet anno, in generali capitulo, diffinitores et visitatores supradicti mutantur, novis qui religione ac discretione praeemineant veteribus subrogatis, ita quod visi-

— impossibilitas scilicet physica patris abbatis omnes filiales ecclesias visitandi, — suadere videatur circatores capituli tantum officio fungi, si pater abbas munus suum explere nequiverit, seu ius visitandi eorum characterem tantum subsidiarium habere, tamen officium visitandi eis aequè principaliter committitur ac patri abbati. Statutis *M* enim explicite cavetur ut singulae abbatiae ab eis visitentur ⁷⁶⁾; quod etiam in bulla *Rei quam rectitudinis* providetur ⁷⁷⁾.

Itaque singulae abbatiae visitari debent et a patre abbate et a circatoribus annuis vel a Domino Praemonstratensi.

Ecclesia Praemonstratensis, quia uti mater omnium aliarum patre caret, iuxta ordinationes bullae *In Apostolicae Sedis* ab abbatibus Laudunensis, Floreffiensis ac Cuissiacensis ecclesiae visitanda est ⁷⁸⁾. Haec tamen dispositio visitoribus in capitulo generali constitutis impedimento non est quominus etiam Praemonstratum se conferant, officium suum expleturi, ut patet ex documentis posterioribus ⁷⁹⁾.

Quaestio primaria vero est utrum Ordo praeter visitationem pro-

tatores ipsi de una circaria ad aliam circariam assumantur, illa cautela adhibita ut nesciatur a quo visitandus in sequenti anno debeat visitari » (*ibid.*, p. 128). Haec omnia, excepta cautela, in Statutis *L* (D. 4 c. 7, *De annuis circatoribus*) inseruntur. Circatorum officium a Gregorio IX sic circumscribitur: « non summatim in publico, sicut hactenus fieri consuevit, sed secreto et singillatim inquirent quae correctione noverint indigere, corrigendo per eos quae corrigenda fuerint, et referendo fideliter quae ad generale capitulum fuerint referenda » (*ibid.*; cfr. *L*, loc. cit.).

⁷⁶⁾ Cfr. supra nota 71. Statuta *L* nihil praescribunt; in D. 4 c. 8, *De visitationibus*... legitur tantum: « In aliis autem ecclesiis cum patres abbates vel annui circatores ad ipsas visitandas accesserint... ».

⁷⁷⁾ Innocentii IV, 17 martii 1246, (Potthast 12027), ed. J. LEPAIGE, o. c., n. 70, p. 668-669: « Quod omnia monasteria tam Praemonstratum quam alia eiusdem Ordinis per visitatores in generali capitulo constitutos et non per alios, qui non sint eiusdem Ordinis... annis singulis uniformiter visitentur ». (Cfr. etiam *Pro divini*, Innocentii IV, 17 aprilis 1247; infra nota 85).

⁷⁸⁾ « Ad haec quoniam Praemonstratensis ecclesia prima mater est omnium ecclesiarum totius Ordinis, et patrem super se alium non habet, sicut ad cautelam et custodiam Ordinis per tres primos abbates, scilicet de Lauduno, de Floreffia et de Cuissiacensi statutum est, annua ibidem visitatio fiat et ad suggestionem eorum in ipso domo corrigatur si quid corrigendum fuerit ». Idem in *In eminenti* (cfr. supra nota 23) et in *L* D. 4 c. 8, *De visitationibus*... Cfr. etiam bulla *Qui sunt*, Innocentii IV, 12 martii 1245, (Potthast 11589), ed. J. LEPAIGE, o. c., n. 66, p. 666-667.

⁷⁹⁾ *Rei quam rectitudinis*, Innocentii IV, 17 martii 1246 (cfr. supra nota 77); *Pro divini*, Innocentii IV, 17 aprilis 1247 (cfr. infra nota 85).

priis superioribus instituenda, adhuc alii, episcopi quidem, obnoxius sit. Ex absentia cuiuscumque dispositionis et allusionis in statutis iam concludere non licet ad exemptionem in hac parte. Etenim, cum visitatio instituenda a personis designatis in capitulis, — quae vi Concilii Lateranensis quarti in singulis regnis sive provinciis de triennio in triennium celebranda sunt, in quantum monachi vel canonici regulares talia ex consuetudine non tenent, — iuri visitationis episcopi non praeiudicet ⁸⁰⁾, dici nequit visitatio superioribus alicuius ordinis concredita in genere illam episcoporum impedire.

Hoc tamen argumentum non valde ponderosum est, et, si omnia rite inspiciuntur, exemptio a visitatione episcopi in confesso est.

Etenim de visitatione ab episcopo in quodam monasterio Praemonstratensi instituta, nullum indicium invenitur. Econtra Praemonstratenses potius quemvis eorum interventum arcere conati sunt obstiteruntque Romanorum Pontificum proposito vel comminationi visitationem episcopis dioecesanis committendi. Gregorius IX, cum a. 1232 Ordinis reformationem in singulis dioecesibus episcopo dioecesano committere intendebat, supplicationi abbatis Praemonstratensis et aliorum de Ordine, ne ab extraneis sed ab eiusdem Ordinis membris visitarentur, cessit ac quibusdam Ordinis abbatibus

⁸⁰⁾ c. 12; in decretalibus Gregorii IX: c. *In singulis*, X 3.35.7. Cfr. c. *Ea quae*, X 3.35.8; HOSTIENSIS, *Lectura*, in hoc cap., sub v. *monachos, contumaces*, et *proclamantur*. Quomodo eorum ius visitandi cum illo episcoporum componi oporteat, c. *In singulis*, X 3.35.7, non determinat. Secundum quosdam decretalistas visitatores tantum visitabunt ac corrigent, si episcopus negligens est; secus enim episcopo praeiudicetur (cfr. *Glossa ordinaria*, in hoc cap., sub v. *vice nostra*; INNOCENTIUS IV, o. c., in hoc cap., sub v. *denuncient*; HOSTIENSIS, *Lectura*, in hoc cap., sub v. *vice nostra*). Secundum alios idem iuris est in utroque, ita ut visitatores visitent, episcopis sive negligentibus, sive etiam ipsis visitantibus. Si vero simul concurrunt, honestum est episcopum eis cedere, cum visitatores a remotis venientes, magis graventur quam episcopus, si oporteat eos reverti; aut etiam visitatores episcopo proponuntur, cum episcopus videatur visitationem malitiose instituere, ne ipsi visitent (*Glossa ordinaria*, in hoc cap., sub v. *vice nostra*, et *visitatores accesserint*; INNOCENTIUS IV, o. et loc. cit.; HOSTIENSIS, *Lectura*, in hoc cap., sub v. *vice nostra*, et *accesserint*). Visitatores autem decreta episcopi ne mutent, et si quid correctione dignum invenerint, ipsis non licet factum episcopi corrigere, sed hoc Sedi Apostolicae deferendum est (HOSTIENSIS, *Summa*, 3.39. *de cens. et exact. et proc.*, § *et qualiter*, sub § *patet ex supradictis*). Hoc vero tantum de gravibus culpis, non de levibus intelligendum est, super quibus iurisdictionem habent (HOSTIENSIS, *Lectura*, in c. *In singulis*, X 3.35.7, sub v. *correctionem*).

reformandi mandatum concedit⁸¹⁾. Similis reactio edita est, immo conflictus inter religiosos ortus est, cum Innocentius IV, a. 1245 decreta reformatoria promulgans, insinueret monasteria ab aliis ac a visitatoribus annuis patribusque abbatibus visitata iri, si isti sollicitudinem et diligentiam requisitam non haberent⁸²⁾.

Argumentum autem stringens pro exemptione praebet compromissum, iussu Odonis, legati apostolici, in praedicto conflictu elaboratum, ac ab Innocentio IV confirmatum. Ibi enim statuitur visitationem in posterum non committi nisi personis eiusdem Ordinis⁸³⁾. Cum hac dispositione, ut videtur, coniungendum est praescriptum sequens Statutorum a. 1290 : « Praecipitur autem rectoribus capitulorum nostri Ordinis ut si archiepiscopus, episcopus vel archidiaconus, seu alia persona ecclesiastica quae non sit de Ordine, legatis Apostolicae Sedis dumtaxat exceptis, intraverit capitulum, et verbum aliquod proposuerit quod visitationem sapiat, rector capituli dicat statim : *Adiutorium nostrum in nomine Domini*, et conventus surgat et eat ad ecclesiam cantando antiphonam *Salve Regina* »⁸⁴⁾, quo indubie constat episcopum dioecesanum visitationem in monasteriis Praemonstratensibus instituere non posse, sicut iam in bulla *Pro divini* cautum erat⁸⁵⁾.

⁸¹⁾ *Gravis est*, 22 martii 1233, (Potthast 9137), ed. L. AUVRAY, o. c., t. I, n. 1198, col. 683-684.

⁸²⁾ *Sedis Apostolicae*, Innocentii IV, 9 martii 1245, (Potthast 11583), ed. J. LEPAIGE, o. c., n. 65, p. 663-666 : « Super visitatione autem monasteriorum Ordinis praedicti visitatores ac patres abbates sollicitudinem et diligentiam habeant efficacem, ne propter eorum negligentiam et defectum nos eadem monasteria vel personas Ordinis, licet inviti, faciamus ab aliis visitari » (*ibid.*, p. 664). Quam gravis contentio exinde secuta est, patet ex bulla *Rei quam rectitudinis* (cfr. supra nota 77), ubi legitur : « ... dissensionem gravem exortam esse invenimus, in eodem [monasterio Praemonstratensi], occasione quorundam statutorum, quae super statu eiusdem monasterii ac quibusdam observantiis Ordinis ipsius nuper a Sede Apostolica emanarant, quibusdam tam abbatibus quam aliis fratribus eadem statuta quoad quaedam approbantibus, aliis eisdem omnino se opponentibus ex adverso, et asserentibus ea dicti monasterii privilegiis quam plurimum derogare et dignitatem ipsius enormiter enervare... ».

⁸³⁾ *Rei quam rectitudinis* (cfr. supra nota 77).

⁸⁴⁾ Pl. F. LEFÈVRE, o. c., p. 11 in nota.

⁸⁵⁾ Innocentii IV, 17 aprilis 1247, (Potthast 12482), ed. J. LEPAIGE, o. c., n. 74, p. 670-671 : « ... Cum itaque Praemonstratensis ecclesia, quae caput est totius Ordinis, postquam ipse, prout asseritis, exstitit institutus, a tribus patribus abbatibus et annuis circulatoribus, omnes vero ecclesiae ipsius Ordinis semper a Praemonstratensi et patribus abbatibus ac visitatoribus et aliis de Ordine ipso destinatis

Huic conclusioni tamen magna difficultas inest ex parte procurationis, seu obligationis superiori hospitium et victum praebendi. Dubitari nequit quin Praemonstratenses ea adstricti sint. In bulla enim *In eminenti* interdicitur episcopos in monasteriis Ordinis cum maiore evectionum numero, quam per Concilium Lateranense tertium constitutum est ⁸⁶⁾, hospitari, et ad grangias et curtes hospitandi gratia, non nisi in magna necessitate divertere ⁸⁷⁾; insuper in bulla *Iustis petentium* statuitur Praemonstratenses non teneri episcopos aliosque praelatos ad eorum monasteria accedentes, recipere seu procurare, nisi semel in anno et cum evectionum et personarum numero in Concilio Lateranensi taxato, aut eis procuraciones pecuniarias solvere ⁸⁸⁾.

Cum procuratio, in canone quarto Concilii Lateranensis memorata, sine dubio ratione visitationis debeatur ⁸⁹⁾, et haec ita insepara-

ab eis, et a nullo alio, nisi de mandato Sedis Apostolicae visitatae fuerint vel correctae, ac in privilegio eidem Ordini ab Apostolica Sede concessa habeatur expresse: Quod si aliquid in personis et ecclesiis vestris fuerit corrigendum ad audientiam generalis Praemonstratensis capituli referatur, et ibidem prout iustitiae et honestati congruerit emendetur, Nos, devotionis vestrae precibus annuentes, quod praedicta Praemonstratensis et aliae ecclesiae, sicut olim, sic imposterum a praefatis abbatibus et visitatoribus annuis et aliis de Ordine saepe dicto dumtaxat, et a nullo alio sine speciali mandato Sedis Apostolicae, plenam faciente de praesentibus mentionem, visitari possint aut corrigi, vobis auctoritate apostolica indulgemus ».

⁸⁶⁾ c. 4; in decretalibus Gregorii IX: c. *Cum Apostolus*, X 3.39.6.

⁸⁷⁾ Haec tamen prohibitio non legitur in transsumptis bullae *In eminenti*, lecturam discrepantem praebentibus (cfr. supra nota 23).

⁸⁸⁾ *Iustis petentium*, Innocentii IV, 12 martii 1245, (Potthast 11590), ed. J. LEPAIGE, o. c., n. 68, p. 667: « ... Cum igitur ex parte vestra fuerit propositum coram nobis, nonnulli archiepiscopi et episcopi et alii ecclesiarum praelati, personarum et evectionum numero taxato in Lateranensi Concilio non contenti, ad monasteria vestra causa procurationis recipiendae in anno non semel, sed frequenter accedunt, cum multitudine effrenata, ac a vobis procuraciones pecuniarias cum personaliter non veniunt et accedunt, exigant et extorqueant, solam super hoc consuetudinem, quae dicenda est corruptela, potius praetendentes, Nos devotionis vestrae precibus inclinati, volentes abusionem huiusmodi penitus amputare, ut cum aliquis eorum ad aliquod monasterium vestrum accesserit, ipsum non nisi semel in anno cum evectionum et personarum numero in Concilio Lateranensi taxato, recipere seu procurare, nec etiam procuraciones pecuniarias solvere teneamini, auctoritate vobis praesentium indulgemus ».

⁸⁹⁾ Cfr. c. *Cum Apostolus*, X 3.39.6: « ... grave nimis esse dignoscitur, quod quidam praelatorum ita in procurationibus grave existant, ut interdum ecclesiastica ornamenta subditi exponere compellantur, et longi temporis victum brevis hora consumat. Quodcirca statuimus quod archiepiscopi parochias visitantes, pro diversi-

biliter cum visitatione coniuncta sit, ut episcopus eam remittere nequeat, cum ei non liceat visitationis ius abdicare ⁹⁰⁾, Praemonstratenses videntur, ob allegationem decreti Concilii Lateranensis in bullis *In eminenti et Iustis petentium*, visitationi episcopi dioecesani obnoxii esse, nisi probaretur procuracionem ob aliam rationem deberi. Etenim non solum ratione visitationis, sed etiam ratione con-

tate provinciarum et facultatibus ecclesiarum XL vel L evectionum numerum, episcopi autem XX vel XXX numquam excedant... Sane, quod de praedicto numero evectionis secundum tolerantiam dictum est, in illis locis poterit observari, in quibus ampliores sunt redditus et ecclesiasticae facultates. In pauperibus autem locis tantam volumus teneri mensuram, ut ex accessu maiorum minores merito non doleant se gravari. Nec sub tali indulgentia illi, qui paucioribus equis uti solebant hactenus, plurium sibi credant potestatem indultam ».

⁹⁰⁾ Visitationem abdicare nequit. Omnis enim abdicatio efficit ut subditus ab omni potestate superioris liberetur ac acephalus fiat, — quod iure prohibetur (cfr. GOFFREDUS DE TRANO, o. c., 3.39. *de censibus*, n. 13; INNOCENTIUS IV, o. c., in c. *Constitutus*, X 3.36.6, sub v. *ordinationem*: « ... quia sic esset ecclesia illa acephala... »; in c. *Cum venerabilis*, X 3.39.21, sub v. *imponeret*: « Quantumcumque enim generaliter ecclesiam eximat episcopus, cathedraticum retinet et iurisdictionem et procuracionem et visitationem, 16 q. 2 c. 1, supra, *de donat.*, *Pastoralis* (X 3.24.7), nisi exemptio confirmaretur auctoritate Papae, arg. supra, *de relig. dom. ut episc. sint sub.*, *Constitutus* (X 3.36.6) et supra, *de his quae fiunt a praelatis*, *Pastoralis* (X 3.10.9), non enim potest a se suam iurisdictionem in totum reicere... »; HOSTIENSIS, *Summa*, 1.31. *de off. ord.*, § *quid pertinet*, sub § *sunt autem quaedam*; 1.33. *de maior. et obed.*, § *quid et cui*, sub § *in fine*: « not. quod nullus se potest excusare ab obedientia alicuius episcopi, saltem Papae, alioquin acephalus censetur, 93 d. *Nulla ratione* (D. 93 c. 8) »; HOSTIENSIS, *Lectura*, in c. *Cum ex officii*, X 2.26.16, sub v. *praescribi*, et *contra visitationem*). Plerique idcirco decretalistsae docent procuracionem ratione visitationis, vi principii « accessorium sequitur principale » remitti non posse (GOFFREDUS DE TRANO, o. et loc. cit.; *Glossa ordinaria*, in c. *Auditis*, X 2.26.15, sub v. *penitus*; HOSTIENSIS, *Summa*, 3.39. *de cens. et exact. et proc.*, § *a quibus danda*, n. 14; *Lectura*, in c. *Cum ex officii*, X 2.26.16, sub v. *praescribi*). Iuxta tamen Innocentium IV episcopus pactum conficere potest ut pro procuracione certa summa detur, immo etiam eam remittere, dummodo expresse fiat (o. c., in c. *Cum ex officii*, X 2.26.16, sub v. *praescribi*: « ... Quidam tamen dicunt quod expresse non potest remittere, sed tacite... Quod non placet. Immo dicimus quod expresse tantum potest remittere procuracionem sibi debitam ratione visitationis, quia cuique licet suo iure privato renunciare... Hoc autem privatum est quod in sola pecunia vel temporali lucro consistit, sed tacite, scilicet multo tempore non recipiendo procuracionem, non praescribitur contra eam nec ipsam amittit ut hic; et est ratio: quia ipsa procuratio non debetur principaliter, sed accessorie, scilicet ratione visitationis, et ideo retenta visitatione, retinetur et accessorium, scilicet procuratio... secus autem esset si vellet renunciare expressim iure visitandi; quia illud non posset, cum sit ius publicum visitare et corrigere... »).

suetudinis, pacti vel privilegii ⁹¹⁾, aut de gratia procuratio praestatur ⁹²⁾).

Praemonstratenses vero procuracionem praestare debere praecise ratione visitationis, ac ideo visitationi episcopi dioecesani obnoxios esse, non ita certum esse videtur. Nam, licet tantum a. 1300, bulla *Vestrae merita religionis* constitutionem Concilii Lateranensis ad procuraciones ex consuetudine exhibitas extendente ⁹³⁾, apodictice pateat Praemonstratenses procuraciones ratione consuetudinis exhibere, iam antea indicia inveniuntur, ex quibus videtur eos procuracionem praestare ob aliam rationem ac ratione visitationis. Et enim, episcopis, — non obstante privilegio inhibente ne quis archiepiscopus vel episcopus, nisi in manifesta necessitate, in Praemonstratensium grangiis hospitaretur, — non reformidantibus ibidem annuatim procuraciones exigere, et ministris eorum de animalibus praedas violenter abducentibus, si forte procuraciones negabantur,

⁹¹⁾ HOSTIENSIS, *Summa*, 3.39. *de cens. et exact. et proc.*, § *qua causa*, n. 13; *Lectura*, in c. *Procuraciones*, X 3.39.23, sub v. *ratione visitationis*: «Hoc ideo dicit quia alia debetur ratione visitationis, ut hic et supra, c. *proxi* (X 3.39.22), ubi de hoc; alia ratione consuetudinis, supra, *eod. tit.*, c. *Cum venerabilis*, § *finali* (X 3.39.21), 18 q. 2 *Servitium* (C. 18 q. 2 c. 31); alia ratione pacti sive impositionis ab initio, supra, *eod. tit.*, *Quanto* (X 3.39.16), supra, *tit. primo*, *Praeterea* 2 (X 3.38.23); alia ratione privilegii, argumento, infra, *de excess. prael.*, *Accedentibus* (X 5.31.12). Et isti tres ultimi species praescribuntur, prima vero nullo modo... ». Isti tres ultimi species etiam remitti possunt (HOSTIENSIS, *Summa*, 3.39. *de cens. et exact. et proc.*, § *a quibus danda*, n. 14).

⁹²⁾ HOSTIENSIS, *Lectura*, in c. *Cum ex officii*, X 2.26.16, sub v. *praescribi*.

⁹³⁾ Bonifacii VIII, 9 iunii 1300, (Potthast 24963), ed. J. LEPAIGE, o. c., n. 112, p. 693: «Ex parte siquidem vestra fuit expositum coram nobis, quod nonnulli archiepiscopi, episcopi et alii ecclesiarum praelati in exigendis a vobis procuracionibus quas ipsis, non ratione visitationis, sed alias de consuetudine exhibetis, vos et loca vestra nimium gravant importabilibus oneribus expensarum, super quo provideri vobis per eandem sedem suppliciter postulastis. Licet autem constitutio Lateranensis Concilii, in qua cura exigendarum procuracionum, quae ratione visitationis debentur, certus est evectionum et personarum numerus, quas huiusmodi praelati valeant habere cum visitant, institutus, in praedictis aliis procuracionibus non loquatur, quia tamen non minor, immo maior in istis est ratio, quam in illis, ut talis in ipsis moderatio habeatur, quod ecclesiae non graventur, Nos constitutionem eandem ad praedictas etiam procuraciones, quas, ut permissum est, de consuetudine taliter exhibetis extendi, vobisque providere super hoc aequitate suadente volentes, auctoritate praesentium districtius inhibemus ne archiepiscopi, episcopi et praelati praedicti vos in praedictis procuracionibus de consuetudine exigendis gravare praesumant, ultra praefatum personarum et evectionum numerum in eodem Concilio diffinitum ».

inter causas ut avaritiam suam et exactionem excusarent, numquam visitatio assignabatur, sed tantum causae ita frivolae, — v.g. quod in grangiis ipsis decimae colligabantur, quod canonici paroeciali ecclesiae in vicinis locis deservientes aliquando in grangiis commorabantur, vel quod in eis claustrum sororum habebatur, — ut iuxta Romanos Pontifices Praemonstratenses ratione earum in exhibendis procurationibus cogendi non essent ⁹⁴).

Licet hoc argumento, cum tantum de procuratione in grangiis exhibenda agatur, tota obiectio non removeatur, tamen ob rationes positivas graviorēs, defectum scilicet cuiuscumque allusionis directae in fontibus iuris particularis visitationem episcopalem quod attinet, absentiam cuiuscumque indicii visitationis ab episcopo institutae, oppositionem contra Romanorum Pontificum propositum visitationem episcopis dioecesanis committendi, necnon frequentiore visitationem superiorum propriorum, dispositio bullarum *Rei quam rectitudinis* ac *Pro divini* non videtur infirmenda. Itaque quoad visitationem Praemonstratenses medio saeculo XIII^o conditione exempta gaudere dicendi sunt, quamquam haec satis tarde, scilicet circa a. 1247, coniici potest.

Exemptionem quod attinet, igitur concludi potest Praemonstratenses exeunte prima parte saeculi XIIIⁱ, licet exemptione plena non gaudeant, — ideoque obedientia, subiectione ac reverentia erga episcopum dioecesanum adstricti manent, — tamen in quibusdam privilegiatos esse. Imprimis enim abbatis electi confirmatio, de iure communi episcopo dioecesano obveniens, statuentibus statutis, ad patrem abbatem spectat, dum pro ecclesia Praemonstratensi ipsa, tacentibus fontibus iuris particularis, hoc munus verisimiliter ab abbatibus Laudunensis, Floreffiensis ac Cuissiacensis ecclesiae expletur. Cura vero abbati de manibus episcopi dioecesani recipienda est, ita ut in hac parte nec de exemptione partiali quidem agatur. Visitationi econtra, episcopo dioecesano instituendae, Praemonstratenses, ut patet ex bulla *Rei quam rectitudinis*, sed praesertim ex

⁹⁴) *Si verae*, Innocentii III, 12 maii 1198, (Potthast 163), ed. J. P. MIGNE, *Patrologia latina*, t. CCIV, n. 200, col. 174-175. Haec prohibitio renovatur ab Innocentio III, 23 maii 1200 (*Si verae*, (Potthast 1051), ed. J. LEPAIGE, o. c., n. 32, p. 647), ab Honorio III, 24 iulii 1225 (*Si verae*, (Potthast 7448), ed. *ibid.*, n. 47, p. 654) et a Gregorio IX, 7 febr. 1231 (*Si verae*, (Potthast 8658), ed. *ibid.*, n. 52, p. 656).

bullae *Pro divini*, obnoxii non sunt. Tali autem conditioni, ut fateor, aliquid speciale inest : nam aliquis subiectus manet, dum eius superior destituitur medio, — visitatione scilicet, — quo suam auctoritatem in subditos maxime exercet. Tamen aliquid simile in hodierno iure invenitur in relationibus inter religiones iuris pontificii non exemptas et Ordinarium loci, cuius ius visitandi erga eos valde restringitur.

Cavendum tamen est ne conclusiones huius inquisitionis magis protendantur. Etenim procul dubio plura valent de toto Ordine, cum privilegiis Ordini concessis nitantur. Attamen nihil impedit quominus quoddam monasterium conditione magis privilegiata gaudeat, cum amplioribus privilegiis auctum sit. Cum autem in determinanda conditione iuridica, sive Ordinis, sive monasterii, etiam ratio habenda sit consuetudinum ac iurium forsitan praescriptione acquisite, non licet conclusionibus huius articuli, cum tantum iure scripto et edito nitantur, nimiam vim tribui : non habent valorem nisi in ordine synthesis elaborandae.

Ae. LAUWERS, O. Praem.